

Bürger

U. 51. Q.

Hd 57. 40


ii.

Q. D. B. V.
De
CEREMONIIS GENTIUM
CIRCA JURAMENTUM,
Supremo Numinis Auspicio
& Benigno
Ampliss. Facultatis Philosophicæ
Indultu,
IN ALMA LIPSIENSI
publicè edisserent
P R A E S E S
M. Gottlieb GERHARDUS,
Seydâ-Saxo,
&
R E S P O N D E N S
JOH. QUODVULTDEUS Bürger/
Mis.

ad diem XII. Julii , Anno clc lcc IC.

H. L. Q. C.

L I P S I A E,
Literis IMMANUELIS TITII.



CEREMONIAE ENI
CIRCA HIRAMINTIM


Spieghel des Ceremonial

o. Bellomo

Ambitum Technicis Philosophicis

In ALMA PLATENSIS





Jova juva!

PROOEMIUM.



Vanta juramentorum esse debeat sanctitas, non tantum ipsa eorundem natura nos edocet, sed & multis aliis argumentis confirmari posset. Quod si enim juramentum actus religiosus, adeoque species cultus divini exterioris, per quem DEO summo honorem Omnisscientia, Omnipræsentia, & justitiae deferimus, quod eadem, qua preces fundimus, reverentia à nobis peragi debeat, exinde patet. Id quod vel ipsis Ethnici perspectum fuit. Hinc Cicero Lib. III. Offic. Injure-jurando non qui metus, sed quævis sit, debet intelligi. Est enim iusjurandum affirmatio religiosa, quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Idem Orat. pro Balb. Græcos, jurandi causa ad aras accessisse testatur. Hinc Jovem JURAMENTORUM PRÆSIDEM ab Euripide in Med. & JURISJURANDI INSPECTOREM à Sophocle appellatum esse, constat: eos porro, qui starent jurisjurandi religione, illacrymabili ævo frui: alios verò visu horrendum tolerare cruciatum, Pindarus censuit in Olympiad. Od. 2. Et quem tandem alium in finem istæ variæ à variis gentibus inventæ Ceremoniæ circa.

A 2

ju-

juramenti præstationem , quam ut istius sanctitatem augerent , & jurantibus terrorem quendam injicerent ? Placuit de his præsentem Dissertationem conscribere , earumque moralitatem paulo curatius evolvere , cui an satisfecerim , rute ipse , Lector benevole , animo judicabis æquo , meique ingenii infirmitatem exoptata benevolentia aura sublevarbis . Sunt hi primi studiorum meorum fructus , & tantum abest , ut temeritate quadam raptus Cathedram ascenderim Philosophicam , ut etiam adhuc publicam reformidasssem lucem , nisi istud , quod *Quintilianus Inst. Orat. Lib. XII. c. 6.* habet , animum addidisset , quando inquit : *Non differendum est tyrocinium in senectutem , nam quotidianus metus crescit , majus ergo fit semper , quod ausuris sumus ; Et dum deliberamus , quando incipiendum sit , incipere jam serum . Quare fructum Studiorum viridem , & abduc dulcem promi decet , dum & venia , & spes est , & paratus favor , & audere non dedecet ; Et si quid desit operi , supplet etas , & si que dicta sunt juveniliter , pro indeole accipiuntur . Quod supereft , Deum obtestor supplex , ut mihi Spiritus sui gratia adesse , successumque largiri velit felicissimum !*

§. I.



Vamvis inutile nonnemini videri posset , atque supervacaneum , explicationi terminorum in hærere , cum isti satis noti , & cuivis facile ad oculum pateant ; tamen , ne methodum constamt desereremus , etiam huic labori spatium aliquod assignare voluimus , fortasse alias etiam hic inveniet , quod ipsum delestet .

§. II.

Duo autem præprimis in titulo seſe nobis offerant termini , qui explicationem aliquam mereri videntur , unus CEREMONIA- RUM , & alter JURAMENTI , circa quorum Etymologiam , Homonymiam , & Synonymiam , quantum opus , evolvendam , nunc erimus folliciti .

§. III.

11.

§. III.

Quantum igitur ad primam vocem, in ea derivanda multum Autores, qui harum rerum satagunt, variant. Quidā enim ab Oppido Tusciae, Cære, l. Cærite appellatæ, originem suam trahere, alii à Cerere, Frugum Dea descendere, volunt. Qui posteriori subscrībunt sententiæ, hoc potissimum nituntur fundamento, quia Cereris sacra omniū antiquissima & prima fuerint juxta Ciceronem Lib. IV. in Verrem, qui Cererem antiquissimam, religiosissimam principem omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes sunt, appellat, unde initio tantum ejus Sacra Ceremoniarum nomine venisse statuunt, donec processu temporis etiam ad alia religiosa istud nominis translatum fuerit. Conf. Buchn. Theſ. Erudit. Schol. Neque inconcinne hæc ab ipsis proferuntur. Nobis tamen istorum maxime probatur sententia, qui cum Joseph. Scaligero ab antiquo vocabulo CERUS, quod sanctum significat, deducunt. Nam ut à sanctus sanctimonia, ita à Cerus Ceremonia esse videtur, & omnino rectius à quibusdam per i scribitur. Ita tamen hanc sententiam nostram facimus, ut nulli, cui fortasse alia magis arrideat, dicam scribamus.

§. IV.

Comprehenditur autem proprie hoc nomine omne id quod religiosum est, & cultu afficitur. Hoc significatu Ecclesia ritibus suis ecclesiasticis applicuit, prout ex Legis Ceremonialis denominatio ne clarum est. Postea etiam ad forum politicum trahi cœpit. Id quod fortasse factum, postquam sepulchralia hoc nomine venerunt. Namque Ciceronis avo ritus efferendi mortuos Ceremonias vocari consuevit, illi, qui Tusculanas Quæſtiones evolverit, abunde constabit. Hinc MAGISTER CEREMONIARUM dicitur, qui ordinem & locationem Legatorum aliorumque virorum in processionibus publicis dirigit; apud nos his similes sunt die Leichen-Schreiber.

§. V.

Nos hic per Ceremonias nihil aliud intelligimus, quam actus quosdam & solennitates exteriores circa juramentum, pro varietate gentium, locorum & personarum diversas. Dicuntur alias etiam ritus, item juramenti Forma externa; ad contradistinctionem Formæ internæ, quæ consistit in religiosa Dei ut testis invocatione, suiq;

ipius, si sciens fallat, devotione. Cujus formulæ sunt: Ita me Deus adjuvet! Deus sit testis, vindex, judex: per DEUM, per Christum, &c. Conf. Excellent. Dn. Röhrensee, Moral. P.P. in Academia Witteb. Praecept. ac Patronum nostrum devote Colendum, in Colleg. Ethico MSC, quod jam sub prelo est.

§. VI.

Nunc etiam alter terminus juramenti brevibus sub examen vocandus. JURAMENTUM dicitur à jure, quia instar juris habendum, unde & passim vocatur jusjurandum. Græcis ὅρκος, quasi ἔργος, hoc est, septum firmum, extra quod non licet procedere. Germanis vocatur Eyd / quam vocem quidam ab Ebræo γύνα, quod est testimonium, derivant; alii, nescio an commode satis, à γένει sciuit, quia istum, qui jurare debet, rei esse gnarum oporteat; iterum alii à Græco ἀλόγος, quod infernum denotat, quia jurans se ad poenas quasvis gravissimas offert, si falsum dicat. Nec desunt, qui faciunt ab ein / vel eindt / unum vel unitum, ut sit Eydt Unitum cum eo qui solus vere est unus, cum quo convenire & consentire se assentunt, qui jurant. Dicitur eisdem quoque eum addito Körperlich Eydt/ idque fortasse ideo, quia mediante parte aliqua corporis, eretione nimirum digitorum, à jurante peragitur. Conf. Jac. Eberti Historiam jurament.

§. VII.

Et qyamvis nos non fugiat, qvod vox juramenti non nullis etiā celebratissimis Viris suspecta, & minus latina videatur, cō qvod autoritatem non satis antiquam habeat, conf. Vorst. de susp. lat. cap. XXII. retinere tamen istam nos voluimus, non tantum, qvia Theologi nostri ista sèpius utuntur, id qvod videre licet passim apud B. Mart. Chemnitium Part. 4. Exam. Concil. Trid. cui jingo Magnis. nostrum D. Olearium, Praecept. ac Patronum submissè Devenerandum, in Theolog. Moral. Tab. XXXI. sed etiam quia à prophanis Autoribus usurpatur, utpote Josepho Lib. VIII. de Antiquit. c. 3. Egesippo Lib. V. c. 45. &c.

§. VIII.

Recensione variarum juramenti specierum, quando illud in promissorium, religionis, fidelitatis &c. distinguitur, de industria supercedeo, quia mihi jam ad scopū propositum festinandum est. Ut autem

de

de modo tractandi praesens thema nonnihil confit, totam Dissertationem in tria Capita dispescam, quorum primum *DE EBRAEORUM*, alterum de *GENTILIUM*, & tertium denique de *CHRISTIANORUM CEREMONIIS CIRCA JURAMENTUM* aget.

Caput I.

De Ceremoniis Ebraeorum circa juramentum.

§. I.

Ut Ebraeorum Gens vetustissima, ita & primo loco istos ponere, fas duximus. *QUADRUPLEM* autem potissimum *RITUM*, quem Gens ista Dei in jurando observavit, offendimus. *PRIMUS est MANUS ELEVATIO*, ut patet exemplo Abrahami, Gen. 14. v. 22. qui levata manu ad ^Liminum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, jurat Regi Sodomorum. Quo gestu quasi demonstrabatur, ut & hodie, Deus; quem in testem invocant, & in quem jurant jurantes. Deus etiam, licet corporeis membris destitutus, elevatione tamen manus in cœlum jurasse legitur Deut. XXXII. v. 40. conf. Exod. VI. v. 8. Num. XIV. v. 30. Neh. IX. v. 15. Psal. CVI. v. 26. Ezech. XX. v. 5. à quo Hebrei istam ceremoniam mutuati esse videntur. Commode autem Deus ipsos hoc ritu commonefacere voluit, non tantum oculos, sed & corda inter jurandum ad cœlum elevata mortales habere oportere, utpote in quo ipse καρδιογνώσης, testis veritatis, & severus perjurii vindex habitet. Hinc quoties phrasis ista, levare manum ad Deum, vel ad cœlum, in sacro Codice ocurrerit, toties eadem juramentum a liquod innuitur, teste Ravanel, in Bibliothec. Sacr.

§. II.

ALTER RITUS SEU CEREMONIA, quam circa juramentum Hebrei olim observarunt, consistebat *IN POSITIONE MANUS* sub femore ejus, cui juramentum præstabatur. Circa quam Ceremoniam illud notandum venit, quod non ea promiscue à quovis, & in omnibus juramentis fuerit adhibita, sed saltim in iis, quæ ab inferioribus superioribus exigere solebant. Tunc enim jurantes non elevabant manum suam, sed imponebant femori ejus, cui jurandum erat, prout hac ceremonia usus legitur Elæasar servus Abrahami, he-

ro suo jurans, Gen. XXIV.v. 2. item Josephus erga Patrem suum moritum Jacobum Gen. XLVII.v.29. Quid Ebræi hoc ritu significare voluerint, in varias interpretes abeunt sententias. Quidam eo recordatos istos esse statuunt fœderis cum Deo in circumcisione initi, quod in ea parte corporis esset circumcisio, sicut hodie tacto Evangeliorum libro jurantes admonentur fidei Evangelicæ, & Servatoris sui Christi in Evangelio patescunt; Alii eo innuisse, inquiunt, semen benedictum ex femoribus beatæ virginis suo tempore proditurum, per quod semen se jurare isto ritu testificati essent. Unde etiam locum istum modo adductum Gen. XXIV. v. 2. ita explicat Hieronymus: *Adjurat seryum in femore suo, hoc est in Christo, qui de ejus semine erat nasciturus.* Iterum alii, cum in femore ossa sint admodum firma, indicatam esse firmitatem juramenti, existimant. Præter hos dantur etiam, qui subjectionis Symbolum fuisse in hac ceremonia affirmant. Accedit huic sententiæ Aben-Esra, & adhuc istum ritum in India usitatum esse scribit, alii etiam Æthiopibus adscribunt.

§. III.

Ut autem & nostrum de hac re aperiamus judicium, postrema sententia, quod nimis ista ceremonia obsequium inferioris erga superiorem significatum fuerit, præ aliis mihi videtur verissima. Quamvis enim & cæteræ satis piæ, tamen quia non in omnibus juramentis ista Ceremonia obtinuit, sed solum in iis, quæ superiores ab inferioribus exigebant, tale quid Hebræos ipsos eo ritu intendisse, veritati minus consentaneum existimo, quia alioquin potius omnibus & singulis juramentis applicassent, id vero non esse factum, patet ex eo, quia in cæteris juramentis manum elevasse leguntur, jam vero has duas ceremonias, Elevationem nimis manus, & positionem ejusdem sub femore, simul stare non posse, quilibet videt.

§. IV.

TERTIO denique etiam quandoque coram altari juramenta præstare solitos fuisse Hebræos, liquet ex i. Reg. II. X. v. 31.

§. V.

QUARTUS RITUS Hebræorum, qui demum posterioribus seculis fuit invectus, in hoc consistebat, ut jurantes tenerent Pentateuchum vel librum legis, & super isto jurarent. *Quo ipso sanctitatem jura-*

11.

juramenti augere, & Deum, qui ipsis istas leges dederat, tanquam omniscium testem, justum Judicem & severum perjurii vindicem sibi in mentem revocare voluerunt.

§. VI.

His quatuor Ceremoniis circa juramentum addimus etiam ritum, quem in sanciendis foederibus vetusta gens Ebræorum observavit. Solemne quippe ipsis erat, vitulum aliquem in duas partes dissecare, easque deinceps è regione sibi invicem positas pertransire, ad signandum eum, qui fœdus violaverit, eundem in modum in poenam perjurii dissecandum ac dilaniandum esse. Patet hoc ex Jer. c. XXXIV. v. 18. seq. Ad quem locum celeb. *Theologus Seb. Schmidius Comment.* hæc verba habet: *Uſiſunt principes & populus Judaicus ceremonia ieſanciendis fœderibus uſitata, ut transirent inter partes vituli, per modum atrocis devotionis, ut in partes ſecarentur.* Conf. etiam Gen. XV. v. 9. seq. Usu etiam apud Hebræos receptum erat, ut asperzione sanguinis foedera firmarentur, prout hoc videre est ex c. XXIV. Exod. v. 8. qui ritus etiam deinceps ad Gentiles transit, præprimis Romanos, apud quos nulla foedera sine sanguine sancita esse constat, adeò, ut nonnulli fœderis nomen à fædo seu sanguine deducere conentur.

§. VII.

Cæterum antiquus mos imponendi juramentum hic fuit: Tribue gloriam Deo Jof. VII, 19. Joh. IX, 24. Omnino enim Deus juramento glorificatur, quippe quo ei tribuimus laudem Omnipresentiæ, quod sit omnipræsens; Omniscentiæ, quod sint τάντα τελεχθυισμένα τοῖς ὀφελμοῖς αὐτῆς, & abdita quoque pernoſcat; Veritatis, quod sit constans cultor veritatis, & severus Ultor falsitatis; Justitiæ quod sit εὐέστος promptus; Omnipotentiæ, quod satis virium habeat ad puniendum eos, qui ei perjurio illudunt.

§. VIII

Ad ritum Hebræorum etiam pertinebat conceptis jurare verbis, ita, ut dictata fuerint verba à deferente præmeditato, & informam certam redacta, quæ deinceps repetebat preſſe jurans. Sic Abrahamus in *Comedia Frischlini* ita præit, ſervus Eleazar ſequitur, & jurat:

Abrah. Deus cœli & terræ te invoco teſtem mihi,

Eleaf. Deus cœli & terræ &c.

Abr. Quod Abrahāmi heri mei filium Isaacum,

B

Eleaf

Eleas. Quod Abrahami &c.
Abr. Ex hac terra in patriam nolim reducere ,
Eleas. Ex hac terra &c.
Abr. Neque uxorem illi ,
Eleas. Neque uxorem &c.
Abr. Sed eam , quam jubeor, pro virili quærere ,
Eleas. Sed eam , quam &c.
Abr. Et sine fraude & dolis ,
Eleas. Et sine &c.
Abr. Sic me Deus adjuvet !
Eleas. Sic me Deus adjuvet !

§. IX.

Quemadmodum autem primis temporibus Hebraeorum Objectum juramenti solus erat Deus, ita posterioribus corruptis per varia jurare Judæis frequens erat. Jurabant enim per vitam Regis, more Ægyptiorum, uti patet exemplo Josephi Gen. XLII, 15. per coronam ejusdem, per Hierosolymam, per templum, per altare, & donum super altari &c. De quibus formulis jurandi, quia non adeo nostri sunt. instituti, consule Buxtorfi Lexicon Rabbin. sub voce juramenti

P. 2314.

§. X.

In primis autem recensitorum ultimum per donum super altari tempore Sacerdotis nostri erat unum ex iis juramentis, quæ Scribae & Pharisei maximam obligandi vim habere censebant. Si quis juraverat per altare nihil erat, quodsi autem per donum super eo, tenebatur, Matth. XXIII. v. 18. Et quamvis lege Dei tenebantur parentes suos colere, eisque pro virili ope & auxilio succurrere, nihilosecius, si hoc juramento se obstringerant, se id non facturos, lege divina se solutos putabant. Neque insolens quid erat Judæis jurare, se huic vel illi nihil commodi præstituros, prout ex solius Philonis verbis id abunde patet: Ὅρκω πεῖθαι, τῷ δαιὶ μὴ ταρέζειν ὀφέλειάν ίδια, Jurejurando se obstringunt, se huic l. illi non præstituros utilitatem aliquam, de specialib. Legib. Hoc juramentum per vocem CORBAN in N. T. innui longe eruditissimus Thomas Goodwinus in Mose & Aarone suo Lib. VI. c. VI. demonstrat. Et in primis locum istum difficilem Matth. XV. 5. ubi hæc verba leguntur; Δῶρον, ὃ ἐὰν ἔξ ἐμοῦ ὀφεληγῆσαι,

11.

ωφελησθήσεις, Erasmus reddidit: Quicquid doni à me profectum erat, id in tuum vertitur commodum, Luth. Wenn ichs opffere/ ist dies viel nützer / juxta formam juramenti Corban exponit , ut hic sensus emergat: *Quicunque dixerit patri, aut matri: PER CORBAN nihil tibi prodero &c.* Hancque interpretationem optime convenire scopo Servatoris, & docere qua ratione Pharisæi mandata Dei traditionibus suis eluserint, ibidem evincit.

§. XI.

Hæ sunt Ceremoniæ, Lector Benevole, quas priscam Ebræorum Gentein circa juramenta sua observasse, putamus, in quantum quidem eas nobis colligere licuit. Simpliciores istæ sunt, & numero pauciores, sicut ex omnibus, quæ hodie apud nos in usu sunt, processu temporis, crescente hominum malitia, ad majorem juramento reverentiam conciliandam, & jurantibus terrorem quendam inculendum, à Magistratibus sunt excogitatae, atque introductæ. Neque enim etiam Ebræorum Ceremoniæ Deum autorem habuerunt, nulli enim mandatum aliquod de iis existare, reperimus, sed libere ab iisdem sunt inventæ, atque à jurantibus usurpatæ.

§. XII.

Nunc ad alterum Caput accessus faciendus esset; verum pauca adhuc de hodiernorum Judæorum ceremoniis circa juramentum, subjiciemus. Gaudet quidem ista optimæ gentis propago degener, nullo proprio foro civili post ablatum à Juda sceptrum, interim tamen contingit, ut inter Christianos ipsis quandoque deferatur juramentum. Quia vero odio plus quam Vatiniano ipsos prosequuntur, recte factum, ut si Judæus contra Christianum ad juramentū admittatur, adhibeantur tum solennitates, tum cautelæ rigorosæ. Neq; enim isti in Christianorum foro secundum ius commune, aut consuetudinem apud Christianos receptam jurant; sed præmissis primum quæstionibus nonnullis, ad quas ubi responderunt, manum dextram usque ad juncturam in librum decem præcepta continentem imponunt, & voces Decalogi hebraice conceptas recitant. Formam ipsam juramenti ex variis iuriis Mosaici locis compositam præscripsit Judais *Ordn. Camer. part. I. tit. 86.*

§. XIII.

Memorabilis est solennitas, quam Jure Sax. circa Judæorum ju-
ramen-

xamenta constitutam invenimus : Wenn ein Jude schweren soll / so soll er stehen auf einer Schweinhaut / die Junge hat gehabt binnen 14. Nächten. Die Haut soll man auffschneiden bey dem Rücken / und sie breiten auff die Sitzen/ da soll der Jude aufstehen barfuß/ und nichts anhaben / denn ein Niederkleid / und ein harin Tuch um sich / also ist sein Recht / Landrecht c. 50. Qui mos an hodienum observe-
tur , valde dubito , interim tamen aliquando eum observatum fuisse ,
exinde conjici potest.

S. XIV.

In Austria inferiori infra Onasum Judæus tecto capite, & appo-
sita dextra manu ad pectus jurare fertur , Gilhaus. in arbor. judic. ci-
vil. P. S. c. 6.

S. XV.

In Hungaria Judæus juramentum præstiturus contra solem ver-
ti, & nudipes stare debet, chlamyde, vel pallio indutus, & pileum Ju-
daicum in capite suo habens, volumenque legis, quod tabulam Moy-
sis vocant, manu sua tangat atque teneat, & sic dicat: Ego N. Ju-
dæus juro per Deum Vivum, per Deum Sanctum, per Deum Omni-
potentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, que in eis sunt,
quod in hac causa, qua me hic Christianus inculpat, innocens sim pe-
nitus, & immunis: Et si reus sum, terra me absorbeat, que Dathan
& Abiram absorpsit. Et si reus sum, paralyticus & lepra me invadat,
que precibus Elisei Naaman Syrum dimisi, & puerum Elisei invaserit.
Et si reus sum, caducus morbus, fluxus sanguinis, & gutta repentina
me tangat, mors subitanea me rapiat, differeamus in corpore & ani-
ma, ac rebus meis, in finum Abrabe nunquam perveniam. Et si reus
sum, lex Moysis in monte Sinai data me deleat, & omnis Scriptura
que in quinq[ue] libris Moysis scripta est, me confundat, & si istud jura-
mentum meum non est verum & justum, deleat me Adonay, & sue
Deitatis providentia. Joh. Sambuc. in Part. III. juris Consuetud.
Hungar. tit. 36. Joh. Limnæus de jure Publ. Lib. III. c. 2.

Caput



II.

Caput II.

De Ceremoniis Gentilium circa iu-
ramentum.

S. I.

AB Ebræis ad Gentiles nunc devenio. Inter hos alia Ceremonia
apud Romanos, alia apud Græcos, alia apud alias Gentes
sele nobis offerunt. Singulis hisce recensendis incumbemus, in
quantum quidem angustia pagellarum præsentium id admittet. Quod
igitur primum ad Romanos attinet, sanctissimum apud ipsos jura-
mentum habitum fuit, *PER JOVEM LAPIDEM* jurare, teste *A. Gellio Noct. Attic. Lib. I. cap. XXI.* Hæc jurandi solemnitas tali modo
adhibebatur: Lapidem silicem tenebat jurans, sic dicens: *Si sciens fal-
lo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc
lapidem.* Et quamvis hæc solemnitas promiscue ab ipsis nullo habi-
tu respectu rei, ob quam jurabant, usurpata fuerit, uti videre est a
pud *Plautum in Aulularia.* (Ubi cum Strophilus Lyconidi jusjurandum
adhuc modum detulisset, *jura per Jovem*, & inter cetera re-
spondisset Lyconides: *Sed me cito expedi sis, subjecit Strophilus:*
*Hem silicem tibi, tunc accepto silice Lyconides jurans hac formula-
usus est: Si te ego sciens fallo, ita me ejiciat Diespiter bonis salva-
urbe & arce, ut ego hunc lapidem)*

Maxime tamen in fœde-
ribus publicis sanciendis hunc ritum observatum fuisse, constat ex
Polyb. L. III. de fœdere Roman: & Carthaginensum. Factum autem
id est sequentem in modum: Postquam de fœdere inter partes con-
venerat, *Facialis* (de cuius munere *Cic. Lib. II. de Legib.* hanc legem
sanxit: *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores Faciales judices-
que sunt) sumto in manus lapide hæc verba dixit: *Sireste, atq; sine do-
lo malo hoc fœdus atq; hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta
felicia præstent; si aliter aut ago, aut cogito, ceteris omnibus sal-
vis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in pro-
priis templis, in propriis sepulchris solus ego peream, ut hic lapis ē
manibus meis decidet; Nec plus locutus manu lapidem dejicit.*
Quandoque hæc etiam Ceremonia accedebat, ut *facialis* silice isto
porcum feriret, proferens jurato hanc sententiam: *Quod porco
hunc**

*hunc contingit, contingat mibi, si sciens fallo. Claud. Paradin. in Symb.
Heroic. Unde istud Virgilii:*

Cæsa jungebant fædera porcâ. Lib. VIII. Æneid.

& Phrasis Latinorum orta: Ferire fædus.

§. II.

Putat nonnemo, Romanos Jovem Lapidem appellasse, quod olim ejus simulachrum fuerit lapideum: Atque ita Jovem veluti testem juramenti manu sua veneratos. *Lampridius certe in vita Heliogabali*, lapides etiam divos dixit: Quamvis *Celeb. Salmasius* ad h. l. vivos Lapides scribi posse existimet. Græci ἐπεύχες λίθος vocabant, qui se movebant instinctu Dæmonis, Saturno, Jovi, soli aliisque Diis sacri. Latini *Abadir* peregrino vocabulo dicebant, quo & Deum, & nominatum jam Lapidem appellabant. Cæterum Athenienses quoque ad saxa jurare solitos, *Hesychius* testatur: ἐπὶ τῷ λίθῳ σπυνθῆσθαι. Neque hi tantum lapidem, sed & congeriem lapidum venerabantur: *Theophrastus*, περὶ δειπνουμάνεις, οὐ τὸν λιπαρὸν λίθον ἀντὶ τοῦ περιόδοις, παρέλαβεν ὃν τῆς ληκύθου ἔλασιν καταχεῖν, καὶ γίγαντα πεσῶν, οὐ τερπνούντος απαλλάξεος. *EPMAIOI*, i. e. *MERCURII s. HERMÆ* alias lapides isti Græcis dicebantur. Denique & Orientalibus populis Cultum religiosum Lapidum familiarem fuisse, constat. Arabes λίθον ἡλεγγαρον adorasse *Maximus Tyrius* serm. *XXXVIII. memoria reliquit*. Quin imò etiam adhuc hodie Mahomedanos saxum aliquod nigrum in templo Meccano divino cultu prosequi, relatum legimus. De jactu porro lapidum superstitione etiam *Salomon* loqui videtur *Prov. XXVI. v. 27.*

§. III.

Sed ad Romanorum juramenta, eorumque Ceremonias redeo. Mos etiam apud ipsos erat, ut jurantes terram tenerent, & cœlum. Deosque contestantes conceptis verbis se, & caput suum, ac stirpem, familiam, bona & fortunas quibusdam additis precationibus deoverent, teste *Alexand. ab Alex. Gen. dier. Lib. V. c. 10.* qui hoc juramenti genus præ cæteris ex omni memoria sanctissimum appellat. Idem refert, quod juratui per Jovem, modo ad Deorum aras, sacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tetigerint; modo super cæsis hostiis jurarint loc. cit. Memorabile est quod de Catilina seditione isto homine *Sallustius* refert: Cum ad jusjurandum sceleris socios trahere

trahere vellet, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris cum circumstulisse, inde, cum post execrationem omnes degustassent, aperuisse consilium suum. Conf. Dio Cassius Lib. 37 qui de eadem conjuratione Catilinæ cum Antonio refert, quod puer quidam matus, & super visceribus ejus juramentum initum fuerit, hæc autem deinceps illos una comedisse.

§. IV.

Pœni Africæ populi jurarunt sepulchra tangentes; quando autem id pro fide danda fieri debebat, de manu alterius uterque sumpto invicem poculo biberunt; quodsi nihil humoris ipsis ad manus erat, sumptum è terra cinerem lingebant, Job. Bæm. de morib. leg. & rit. omn. Gent. Lib. I. c. VI. De iisdem Livius memorat, quod agnum levæ manu, dextra silicem tenentes, precati sint Jovem cæterosque Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipsi agnum mactassent; qua facta imprecatione caput pecudis saxo illiserunt, Lib. XXI.

§. V.

Scythæ infuso in grandem Calicem fictilem vino commiscuerunt eorum sanguinem, qui foedus facere, & in id jurare voluerunt, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde calice tinxerunt acinacem, sagittas, securim, jaculum: hoc peracto feso multis verbis devoverunt, postea vinum epotarunt, teste Bæm. Lib. 2. c. 9.

§. VI.

Pari modo etiam de Arabibus fertur, quod, quoties foedus aliquod inire voluerint, alius quidam mediis inter utrumque stans, acuto lapide percusserit volam ipsorum, qui foedus inierunt. Deinde sumpto flocco ex utriusque vestimento idem inunxit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Dionysium & Uraniam. Vid. Herodot. Lib. III.

§. VII.

Patet ex hac Arabum injurando consuetudine, quam religiose Lapides, ut ante jam monuimus, habuerint. Quod autem istos sanguinem tinxerint, execrationis fuisse Symbolum, existimamus. Constat enim ex historiis, quod non tantum Romani, de quibus conf. Alex. ab Alex. Lib. III. c. 22. sed & alii gentiles, peculiarem religionem in devotionibus posuerint, illasque nunquam incassas esse, firmiter sibi perservatum.

sum habuerint. Cui non adeò absimile execrandi genus adhuc apud Turcas obtinere deprehendimus, id quod sequens historia, quam ex Cuspiniano *Camerar. Horis succis. Cent. III. cap. XXXV.* refert, confirmabit: Cum Bajazet Turcarum Imperator à Filio Selimo regno exutus, gazophylacia & cameras argentarias nimis donationibus ab injusto successore suo evacuari, animadverteret, res illa adeo ægrè istum habuit, ut cum reliquo thesauro clanculum Natoliam ad maiorem filium abire, mente sibi proponeret. Ante verò quam consilium hocce suum effectui daret, sub arbore quadam Bajazet considens, arreptis duobus lapidibus, ad Austrum conversus, cœpit filio omnia adversa imprecari, eumque diris devovere, ut ejus coepita, instar horum lapidum, quos cum dicto manibus concussit, ab adversariis confunderentur, ut iethalia vulnera, & periculosisima discrimina sentiret, ut lapides illi quaterentur: uti uxor, aut infecunda maneret, aut filios pareret debiles, nec diu superstites, quod se patrem despexisset, ac Mahometis legem prævaricatus esset. Ita urbe excesit, postea verò in medio itinere vi veneni, à filio clam propinati, spiritum exhalavit.

§. VIII.

Apud Syracusanos tactis cereis ignitis jurare, usu receptum erat, ap. *Alexand. ab Alex. Lib. V. c. X.*

§. IX.

Siculi in Ara Palicorum, quos Nauticos Deos Varro appellat, lacu seu cratere religioso, brevi & profundo semperque lurido iuramentum præstabant: ad quem multiplici scaturigine ebullientem jurantes religiose accedebant: & qui casta, & sine labe criminis jurasset, illæsus & validus abibat; qui verò contra religionem jusjurandi fidem abjurasset, reus criminis in lacu demersus, læsæ conscientia, & pejerati Numinis morte poenas dabat, Idem. De hac ara *Virgil. Lib. IX. Aeneid.*

Ubi implacabilis ara Palici.

§. X.

In mentem hic venit, quod nuper in Itinerario aliquo Italico legi, esse nimirum Romæ in Templo, quod Græcorum vocatur, lapidei quendam prægrandem, cui facies impressa sit; de hoc narrant peregrinantes, quod olim testes juraturi manum ori ipsius inferere necesse

necessum habuerint, cum periculo, si pejerarint, perdeundæ manus
insertæ.

§. XI.

Ad Græcorum denique Ceremonias circa juramentum quod attinet, isti nonnunquam verre apprehenso & stricto in jugulum gladio, cœlum, solem, & ultrices furias advocare, & testes facere, mox verre immolato, & in mare dejecto jusjurandum præstare solebant; quo præfito nihil præterea querendum homini erat, ap. *Alexand. ab Alex. L. c.* Interdum etiam ad altaria jurarunt, ut fecit Annibal, dum se hostem Romanis moriturum jurat, apud *Liv.* Huc pertinent *Virgil.* Verba:

Tango aras, mediosq; ignes, & Numinatae sacerdoti, Lib. IV. Æneid.

§. XII.

Tatari Polonis Anno 1501. jurantes, more suo strictis frameis aqua infusa & sorpta, male imprecabantur iis, qui fœdus violassent, *Cromer. de reb. gest. Polon.*

§. XIII.

Turcæ, tacto suo Alcorano juramentum deponunt, aut etiam manu apprehensam barbam tenent, id quod multis in locis apud *Franz Ferdinand von Troilo in Itinerar.* suo legere licet. Nam quod juramenta vana saltim à Mahumete prohibita sint, illud clare ostendit *Hottinger. hist. Oriental.* Lib. II. c. IV. & confirmat præterea eorundem praxis.

§. XIV.

Solymannus, Turcarum Imperator, Johanni Regi Hungariae, inita confederatione Anno Christi 1530. in hæc scripta formalia præmisso titulo juravit: Ego Sultanus Solymannus Schyack, Imperator Turcarum invictissimus, juro ad omnipotentiam Dei altissimi, omnipotens, sanctitatem, splendorem & bonitatem Divinitatis suæ, ad firmamentum cœli, solem, lunam, stellas, terram & superficiem terræ, ac ad regnum & sanctissimum Mahumetem; proavum, avum, patrem, matrem, lac ac panem meum, gladium, animam ac vitam meam, ac omnium Bozermannorum circumcisorum salutem, quod te fratrem, meum juratum Johannem Regem quaque necessitate non relin-

C

quam

quam &c. Et si promissione meæ non satisfaciam, tuæ ira summi Dei, & ejus justitia super caput meum veniat, & me totum disperdat. Et quicquid corpus meum attingeret; altissimus Deus omnia in petram convertat, ac firmamentum terræ me ambularem non sufferat, sed terra ipsa in duas partes dividatur, ac me totum corpore & anima mea dehiscat, atque desorbeat.

§. XV.

Atque hæc de Gentilium Ceremoniis circa juramentum dicta sufficient, plura qui cupit, adeat *A. Gellium* Noct. Attic. Lib. I. c. XXI. *Camerar.* horis subcisi. Cent. II. c. LXXXVIII. *Baldwin.* Cas. Conscient. Lib. II. c. IX. *Zabnnum de mendaciis*, Lib. III. & præpmissis *Alexand.* ab *Alex.* jam sæpius citatum, Gen. dier. Lib. V. c. X. toto.

§. XVI.

Perspicere ex his licet, quanta juramentorum apud Gentiles omni tempore fuerit sanctitas. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando artius esse voluerunt, ut ait M. Tull. Cicerio in Officiis, quo nullo modo sit iudendum. Eam ob rem. mira severitate perjuros eidem punivere. Tullus Hostilius perjurum Metium Fufetium religatum inter duos currus pernicibus equis distraxit, *Florus* Lib. I. c. III. Certe & Deorum & hominum odium talusmodi hominem incurrire, sibi persuasum habebant. Hinc Agesilaus Tessapherni Persarum Duci post violatum fœdus per legatos gratias egit, quod perjurio suo & Deos & homines offensos sibi reddiderit.

§. XVII.

Pudori certe multis Christianis hoc erit, sacramentis ut pueri nucibüs, sæpenumero ludentibus, neque juramenta, magis, quam antiqua domus fumum, curantibus. Fuit hujuscemodi farinæ perfidus iste *ATTO*, Episcopus Moguntinus, vulgo der treulose Atto / qui juramenti religione deceptum Adelbertum Palatinum Franciæ Orientalis, ob insimulatum crimen aliquod à Cæsare gravi obsidione in arce sua Aldenburgo pressum, in hostis sui manus tradidit. Promiserat ipso jurato se ipsum incolumem reducturum, & extra portam,

con-

constitutus, ut ad jentaculum sumendum secum in arcem revertere-
tur persvalit; deinceps denuo iter aggressi sunt. Isto peracto
Adelbertus in manus hostis sui traditur, mortique adjudicatur. Quam
persidiam Atto ita excusavit: Juramento & datæ fidei se tum satis-
fecisse, cum eum ad jentaculum in arcem incolunem reduxisset.
Pessimum hominem, & dignum perpetua nota sacerdotem, qui igno-
ravit, fraude perjurium adstringi, non solvi! *Albertus Cranzius in-
sua Metropol. s. Hist. Eccl. Sax. Refert etiam Bodinus de Republ.
Lib. I. c. IV.*

§. XVIII.

Pari censu venit eorum damnata levitas, qui se tam pronus,
promptosque ad juramentum offerunt, ut dicere non vereantur, *des
will ich so manchen End thun/ als ich Haare auff meinem Haupt habe.*
Iudeus à Christiano quæsivit, quare plures claudi, cœci & mendici
inter Christianos repertiantur, quam usquam inter gentes? Christiani
non respondeunt, se ignorare, dixit ille: Christiani nimis perjuriis of-
fendunt Deum suum magis quam alia gentes; Ideo etiam puniuntur
à suo Deo propter perjuria & blasphemias præ aliis. *Selnecc. in ex-
plic. 2. præcept.* Et certe non tam leve peccatum est pejerare, quale
habetur in Ecclesiis Pontificiis, ubi poena pecuniaria pro perjurio in
absolutione sex constituti sunt grossi, *ut est in Taxa Cancellaria Apo-
stolica excusa Parisis in vico S. Jacobi apud Tessianum Denis Anno
1520.* sed per quod Magistratus civilis authoritas vilipenditur, proximi
charitas submovetur, & quod longe gravissimum, divina majestas
impie læditur, quæ non habebit insontem, quisquis vane usurparit
nomen ejus, *Exad. XX. v. 7.*

Caput III.

De Ceremoniis Christianorum circa Juramentum.

§. I.

AD Christianorum Ceremonias circa juramentum accessuri ex
religionis Christianæ placitis præsupponimus, juramenta in fo-
ro Chri-

C 2

re Christianorum jure divino esse licita. Negant id non solum Anabaptistæ Fanatici , statuentes in V. T. juramentum sine peccato præstari potuisse, sed in N. simpliciter à Christo esse veritum; sed & nonnulli Patrum in ea fuere opinione, Christianis omne juramentum esse prohibitum. Sic enim Hieronymus in cap. IV. Jer. Evangelium nos prohibet jurare. In lege Mosaica non erat malum, jurare post Christum autem malum est. Qui error vel maxime è sinistra interpretatione loci istius decantati Matth. V. v. 34. seqq. provenit, utpote ex quo omnia juramenta in N. T. prohibita esse adversarii evincere conantur. Verum enim verò ad hanc objectionem jam satis à Theologis nostris responsum est, ut nostra refutatione non opus sit; Affirmativam quoque sententiam sat validis rationibus nostros Theologi adstruxerunt.

S. II.

His ita præsuppositis ,ad id, quod nostri est instituti nimirum ceremonias circa juramentum enarrandas nos accingimus. Inter eas primas obtinet CHIROTONIA, seu digitorum in altum porrectio, qui mos ubivis ferme locorum obtinet, præterquam quod in Delphiniatu aliisque Galliae Curiis, Ecclesiastici non ut laici, sublata in altum, sed reducta manu ad pectus jurare perhibentur; quod idem & Principes Electores Ecclesiastici in Electionis Imperatoriaæ actu observant, Limn. de jure publ. Lib. II. c. 3.

S. III.

Disceptatur autem, an duo tantum medius nimirum & index, vel tres digitii, nimirum duo priores cum pollice, à jurantibus elevari & extendi debeant? Qui posteriori sententia accedunt, hanc interpretationem reddunt, porrectione nimirum trium digitorum designari SS. Trinitatem, ut pollex Deum Patrem, index Filium, & tertius digitus Spiritum S. significet ut adeo jurans tacite quasi sibi imprecetur: si sciens fallo atque pejero , me Deus Pater Filius & Spiritus S. à gratia & misericordia sua repellat, & meritorum Christi participem esse non sinat &c. Et favere huic sententiae videtur, quod etiam hic mos in Consistoriis nostris observetur, uti videre licet

licet ex interpretatione, qua juraturis prius prælegi soler, quād ad juramentum admittantur. Allegatur ista à *Balduno* in Casib. Conscient. Lib. II. c. IX. Cas. VI. in gratiam Lectoris illam hic adscribam, quia admodum elegans est, & instituto mostro non exiguum lucem foenerabit.

§. IV.

Principio eriguntur tres digiti, videlicet pollex, qui notat Deum Patrem: index, qui notat Deum Filium: medius, qui notat Spiritum sanctum. Reliqui duo digiti in manu contrahuntur, quorum unus pretiosam hominis animam in corpore ejus latentem, alter nimis minimus digitus, notat corpus, quod in coilatione ad animam minimum esse videtur. Tota manus notat unum esse Deum, & Creatorem omnium in cœlo, & in terra. Quicunque ergo tam extreme fraudulentus, atque mendax est, ut perjurium committere non vereatur, is jurando nihil aliud facit, ac si dicat (1) si hodie perjurium committo: Oro Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, S.S. Trinitatem, ut me ex communione Dei excludat, & verbum ejus sit maledictio corpori & animæ meæ. (2) Si perjurium committo, Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus deserat me, & immensa misericordia Domini ac servatoris mei IESu Christi nunquam mihi vel auxilio, vel solatio sit in agone mortis meæ, & in illa, in qua corporis & animæ futura est dissolutio. (3) Si perjurium committo oro te Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ut pretiosissimum illud corpus Domini nostri IESu Christi, acerbissimam ejus passionem & mortem, & omnes innocentissimos ejus cruciatus miserrimo mihi peccatori irritos reddas & inutiles. (4) Si perjurium committo, volo ut anima mea, quæ notatur digito quarto, & corpus meum, quod notatur minimo digito, in novissimo die abnegetur, ubi cœco & perjuro mihi standum erit coram tribunali justi judicis, & ego me jure tunc exclusum agnosco ab omni communione cum Deo & electis suis, & desideratissimo aspectu Domini nostri IESu Christi privatum. Quilibet ergo, qui salutis suæ cupidus est, perjurium vitet, ne partem habeat cum diabolo & damnatis omnibus. Nam perjurio animam Deo creatori & salvatori unico subtrahit, & æternæ damnationi mancipat: quod ne fiat à nobis, prohibeat Altissimus per Christum Dominum nostrum.

C 3

§. V.

§. V.

Etsi vero hæc interpretatio erectionis trium digitorum satis pia: tamen ista displicet *Linn.* de jure publ. Lib. II. c. III. cum *Jac. Eberto* Tr. Eth. de jurament. eo quod ritus istius autores S. S. Trinitatem non agnoverint, sed gentiles fuerint; ipsisque mos duos tantum erigendi digitos prefertur, quem ita explicant: Indicem elevari, ut jurans monstrat, quod quem sermonis sui testem vocat, eundem & vindicem velit, si fallat; medium, ut mentis & affectuum ostendatur integritas; jungi vero utrumque ut significetur copulatio jurantis, & consensus cum eo, per quem jurat. Vel, ut alii explicant, eriguntur duo digiti, ad significandas duas virtutes justitiam & veritatem juramento præcipue confirmandas.

§. VI.

Mos igitur iste duos tantum erigendi digitos concinnus magis & usitator esse videtur; non tantum quia explicatio ejusdem magis conveniens, unde & vulgo de jurantibus dicitur, daß sie zwey aus fünf se ziehen; sed etiam quia perjuris non tres, sed duo tantum digitii ex Constitutione Caroli V. amputari solent.

§. VII.

Ab hoc more erigendi digitos plane abludit mulierum consuetudo, quippe quæ non extensa manu, sed apposita ad pectus dextra, vel applicatis duobus digitis sinistræ mamillæ, apud nos jurant.

§. VIII.

Sesferus de juramentis Lib. I. c. XV. n. 19. per hunc ritum subjectionem significari autumat, qua mulieres maritis suis sint obstrictæ; Verum enim vero hanc explicationem ideo locum habere non posse, putarim, quia subjectio illa in tali actu, ubi non ad maritum, sed ad Deum sermo devotioque dirigitur, non venit consideranda; ut faceam illud, quod non tantum nuptæ, sed & virgines, quæ tamen nondum viris subjectæ sunt, eodem modo jurare soleant. *Baldwinus* loc. Supra alleg. ex veteri Alemannorum consuetudine, de qua vide *Petrum Gregorium Tholosanum* Lib. L. Syntagm. c. VIII. n. 30. id fieri existimat.

§. IX.

§. IX.

Veteres Christiani in primitiva ecclesia jurabant aut tecto S. martyris sepulchro, ut *Gregorius M.* refert Lib. V. Epist. 33. aut altari, teste *Gregor. Turokens.* Lib. V. hist. c. III. aut manu bibliorum libro imposita, referente *Chrysostomo* hom. XV. ad populum Antiochen. aut in specie Evangeliorum libro, notante *Sozomeno* Lib. VI. H. E. c. 30.

§. X.

Qui mos etiam hodie adhuc ex parte obtinet. Videmus enim, quod itidem jurantes interdum indicem ac medium dextræ manus digitum vel imagini crucis, vel sacris bibliis imponant. Et quantumvis in hoc ritu non veretur vis ac substantia juramenti; interim tamen, cum nihil habeat superstitionis, sed ad hoc inventus sit, ut majorem solemnitatem vel observantiam inducat, turpiorque perfidia censatur, non solum sermone, verum etiam actu corporali Deum testem advocatum fallere, non peccant ita jurantes, modo illud notetur. ejusmodi ritus non pertinere ad essentiam juramenti, utpote, quæ in eo tantum consistit, ut Deus vocetur in testem vindicemque; sed saltem ad accidentalia, quæ adesse, vel abesse possunt.

§. XI.

Ad ceremonias circa juramentum corporale etiam pertinet, ut istud publicè, quolibet audiente & adspiciente, & regulariter ante meridiem à jejunis praestari debeat, idque eam ob causam, quia tunc temporis jurantes omnia melius ponderare, simulque talem actum cum debita reverentia & religione perficere presumuntur. Regulariter autem hoc fieri debere dixi, quia si quis post meridiem sobrius & sibi omnino praesens & que ac ante prandium esset, non video rationem, quare non etiam post meridiem juramentum praestari, & recipi queat.

§. XII.

Præterea etiam candelæ accenduntur, sancta Servatoris crux, immò quibusdam in locis etiam demortui cuiusdam caput, ferreae chirothecæ, gladius evaginatus è regione juranti ponuntur, ad commonefactionem, quod in conspectu Dei, cui nulla creatura est invisi bilis, sed omnia nuda & aperta oculis ejus Heb. 4. 13. homo jurans ficitur, & quod Christus Jesus Servator ipsius animam pretioso sanguine

gvine suo in morte crucis redemerit, quam fœdo perjurio perdere, si-
mulque omne lumen ac solatium, à Spiritu Sancto per verbum ac
Sacramento in corde ipsius accensum, extingvere, istiusmodi homo
maximæ religioni sibi ducat; quin potius vitæ suæ fragilitatem accura-
ta lance penniset, memineritque temporis illius, quo omnia tempora-
lia, quæ fortasse perjurus vel servet, vel etiam adipiscatur, v. g. corpus,
vitam, honorem, divitias &c. relinquere ipsum oportebit. Intuens
chirothecas & gladium recordetur, quod Deus etiam temporalem
pœnam Magistratus, quæ perjuris deberur, effugere ipsum non passu-
rus sit, si pejeret; è contra vero, si verum dicat, ipsum contra infen-
sam partem defensum ire, viribus non destituatur. Quomodo & olim
gladius nudus justitiae index fuerit, conf. Camerar. Hor. subcisi.
Cent. I. cap. LXXVI.

§. XIII.

Hic rivulos claudio, rogans Benevolum Lect. ut hos nostros
Conatus boni consulat, & si quid prætermissum, aut non accuratè satis
excussum, illud instituto nostro, quod erat, compendium scribere,
tribuat, hoc autem infirmitati ingenii nostri condonet.

S. D. G.



Ko 2808




VDR

nc

circa Iuramentum.

K
d.s

B.I.G.



Q. D. B. V.

De

CEREMONIIS GENTIUM CIRCA JURAMENTUM,

Supremo Numinis Auspicio

& Benigno

Ampliss. Facultatis Philosophicæ

Indultu,

IN ALMA LIPSIENSI

publicè edifferent

P R A E S E S

M. Gottlieb GERHARDUS,

Seydā-Saxo,

&

RESPONDENS

JOH. QUODVULTDEUS Bürger/

Mif.

ad diem XII. Julii, Anno cIɔ Iɔc IC.

H. L. Q. C.

L I P S I Ā,
Literis IMMANUELIS TITII.

